



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Directorivm. Servandi Pvblicas, Sacrasqve Processiones,
Sev Svpplicationes, Tam Ordinarias, quae fiunt certis
diebus per annum; quàm extraordinarias, quae varijs ac
publicis Ecclesiae de causis in ...**

Coloniae Agrippinae, 1640

De Litanijs minoribus

urn:nbn:de:hbz:466:1-9480

DE LITANIIS

Minoribus.

Litaniæ minores id est Rogationes Latinè , seu deprecationes fiunt triduo ante Ascensionem ; de quibus *August. Serm. 173. de Tempore & in Concilio Aurelianensi cap. 29. de Conf. Dist. 3. cap. Rogationes.* In postrema Martyrologij Romani recognitione ii. Maij harum institutor est appellatus S. Marmertus Episcopus Viennensis in Gallijs, ob incurSIONEM luporum in damnum grauissimum populorum. Quæ ideo appellatæ sunt Minores , quia à minori Episcopo , si ille auctor est vel restitutor, & in minori loco respectu S. Gregorij Papæ & vrbis Romæ. *Durand.*

Litania hæc minor secundum antiquam consuetudinem Diœcesis Coloniensis à carnibus abstinendo à fidelium populis ieiunetur. *Ita statuta Synod. Henrici Archiep. Colon. 1307. 4. Martij c. 3.* Litanijs porro his omnes interesse iubentur , vt quemadmodum omnes peccauerunt , sic & omnes pro venia
suppli-

supplicent, omnesq; ad Deum corda cum manibus eleuent. Quamquam potissimum Litanix istæ principio institutæ sunt, vt tum populus Diuina institutione admonitus, clementiam Dei exoret, quo pestes, clades, Calamitates, fames, bella, & id generis aduerla, quæ nobis iustissimo Dei iudicio ob peccata nostra infliguntur, ac sub id anni tempus, nempe veris (quum bella emergere, atque terræ fructus, qui tunc in flore, atque teneri adhuc sunt, facilè corrumpi solent) potissimum imminent, auertat & tollat. Vt autem Ecclesia fiduciam erga Deum (quam orantes ac perentes habere necesse est) tum nobis adaugeat, Heliam proponit hominem nobis similem & passibilem, qui oratione orauit, vt non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex: & rursus orauit, & calura dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum. *Iaco. vlt. 3 Reg. 17.* Quod si solus Helias petens exauditus est, num Christus Ecclesiæ suæ preces auersabitur. *Ita Conc. prouinc. Colon. sub Adolpho 1536. parte. 9. cap. 7.*

IN